



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De directione. Cap. 35.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)

cularia discernunt, & reliqua à nostra vocatione aliena mentem inficiunt. Si ergo vis cor pacatum & tranquillum possidere, culpas etiam leuissimas vitæ, & quas non vitaueris, statim per contritionem abiice, affectus tuos moderare, negotia secularia fuge, & ab omni eo, quod à tua vocatione alienum est, diligenter te subtrahe. Hæc cordis tranquillitatem pariunt, & nos ad Deum in intimo mentis nostræ excipiendum, manifestè disponunt.

*De Discretione.*

CAPVT XXXV.



In his quæ hæcenus dicta sunt, & in cæteris omnibus, discretione opus est, quæ tempora, & loca, te ipsum, & personas, quibuscum agis, statum tuum & modum conuer-

Asandi, & alia similia consideres, & secundum quod ratio, & virtus hic & nunc dicat, ita in his quæ occurrunt te habeas. Multa sunt quæ Deo displicent, fratres turbant, & tibi non profunt, quia non sunt discretionis sale condita: eadem verò si discretè fierent, magnum apud Deum & homines splendorem haberent: discretionem quam non habes, suppleat obedientia, suppleat oratio ac recursus ad Deum, suppleat tandem seniorum & prudentium consiliū. Qui enim in dubiis ad Deum recurrerit, & consilio sapientium, ac obedientiæ submiserit, non errabit. Si hæc ad Deum, ad Prælatos, ad religiosam familiam, ad fratres & ad te ipsum obseruaueris, mitum in modum in virtute proficies.

ORATIO

PRO ADEPTIONE VIRTVTVM.

**D**OMINE Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum, qui seruos tuos insignibus domus tuæ, nempe virtutibus fulgere precipis, & desiderium in eorum cordibus tantæ pulchritudinis immittis, accende quesumus in nobis vniuersarum virtutum desideria flammigera, & ad eas precibus & gemitibus postulandas impelle, vt paruitas nostra à te benigno largitore, qui vis rogari, has veras opes, & nunquam interituras, obtineat. Doce nos, Domine virtutum, naturam, ne pro virtutibus vitia queramus. Excita earum amorem, vt non vilia & abiecta, sed cælestia dona, & te eorum authorem diligamus. Conforta brachium nostrum auxilio gratiæ tuæ, vt perfectionis urbem sanctis operibus expugnantes, virtutum possessores simus. Sit vita nostra, vita iustorum digna, qua te die noctuque, & omni tempore suspirantes, te ipsum, qui beatitudo ac gloria nostra es, feliciter consequamur. Amen.

